Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26117
Copyright: Admont, Benediktinerstift

soror mea sponsa. hortus conclusus. In his qui sunt mammę id est in perfecti est hortus conclusus et soror. In his qui sunt ubera id est perfecti. est hortus conclusus et sponsa. Iterum in his qui sunt odor unguentorum id est contemplatiui. est hortus conclusus. et in his qui sunt odor uestimentorum id est actiui est hortus conclusus. Item in his qui sunt labia est hortus conclusus. in his qui sunt lingua est hortus conclusus. In horto crescunt herbę medicinales et uarii flores.

Hortus ecclesia.

Hortus est ecclesia in qua multe sanctorum uirtutes sunt diuersę herbarum species. diuersis uulneribus peccatorum medicinales. In hoc horto sunt uarii flores diuersi electorum ordines. martyres ut rosę. confessores ut uiolę. uirgines ut lilia. alii fideles ut alii flores. Huius horti hortulanus est christus qui et sponsus. qui eum plantat gratia [illegible] irrigat doctrina. Hic hortus est conclusus in e[illegible] contemplatiuis. scilicet presidio angelorum contra [illegible] demones munitus. Hic etiam conclusus est [illegible] in actiuis. qua munimine doctorum contra [illegible] hereticos est circumseptus. In quo horto herbę [illegible] et flores. sunt quique fideles fide et opere florentes. Similitudo est ab horto paradysi. qui dicitur undique igneo muro esse conclusus et custodia angelorum munitus. ut ignis homines inde prohibeat. angeli demones exinde arceant. Ita ecclesia hortus dei est diuino presidio ut igneo muro circumdata et angelica custodia munita. ut nec demones. nec mali homines ei ad nocendum preualeant. Hoc ideo dicitur: ut in